

FK. 63.

20

Olearius

Z d

1383

107.7



SUPREMUM OFFICIUM,
VIRO SUMME REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO
JOHANNI CHRISTIA-
NO OLEARIO,

DÓCTORI THEOLOGO, HALENSIS ECCLESIAE PASTORI
Primario, fidelissimo, meritissimo, ac Circuli Salani
Inspectori vigilantissimo, nec non Sacri Consistorii, quodin
Ducatu Magdeburgico est, Consiliario
gravissimo,

IX. Decemb. *ciō iōc xcix* erepto mortalitati,
& hodie XV. Decembr. hora XII.
honestissimis exsequiis sepeliendo,

ACADEMICIS OMNIBUS
faciendum,
indicit

PRORECTOR ACADEMIÆ

HENRICUS BODINUS, IC.
Potentiss. Electoris Brandenb. in Ducatu Magdeb. Con-
siliarius Ecclesiasticus & Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,
ex Officina Brühliana.



Histe ac acerbum munus est officii, quod Academia suscepit hodie perficiendum. Multi sunt funesti casus, qui vitam mortalium, qui res humanas quotidie circumstant, & improvisi saepe ingruunt, mœrore ac luctu prosternunt: sed omnino dubitamus, an acerbius quidquam nobis contingat, quam quum viri de ecclesia & republica meritissimi, & ea ætate, ut diutius vivere, & quam plurimos fructus ad communem utilitatem, super egregia, quibus defuncti sunt, merita, in futurum tempus conferre posse videantur; quum, inquam, his meritis viri præter opinionem intercepti fato, ex hominum confortione, & ab oculis mortalium æterna lege, quam non licet deprecari, subducuntur. Sæpe, quæ humana est fragilitas, immaturæ ætatis juvenes, in flore extinctos, videmus sepeliri, sed tum incerta spes & dubia contumulatur, quod fieri potuisse credunt homines, ut aliquando de patria, de republica bene mereantur: ita autem merituos esse, in se recipere nemo potest, quia sæpe fallaces sunt spes mortalium, & omnia secus accidunt, quam bene ominando cogitandoque præuerterant. At quum viri expertæ virtutis & meritorum, necdum ætatis causa emeriti, neque effœti ingenio, a medio cursu virtutis & a præclaris studiis, in salutem ecclesiæ ac reipublicæ susceptis, abripiuntur; is vero dolor, is luctus omnium est acerbissimus, quia non quod incertum erat aut lubricæ spei, sed quod præsens, compertum comprobatumque est, ab oculis, & usu hominum, quum minime cogitaverant, aufertur. Et quisnam verbis magnitudinem doloris exprimere potest, qui tam alte animis insedit, ut nec perspicere penitus, nec æstimari, nisi ex vultu, ex gemitu aut lacrymis quodammodo possit? exemplum vero efficacius ad demonstrandum est, quod in universa civitate Halensium videmus, quæ Theologum, præclarissime meritum, summeque venerabilem, D. JOH. CHRISTIANUM OLEARIUM, Pastorem suum primarium & fidelissimum, Salani tractus vigilantissimum Inspectorem, & in Consistorio Ducatus Magdeburgici Consiliarium gravissimum, justo dolore, tanto bono orbata, vehementissime luget. Quod malum quum & Fridericianam nostram tangat, ad quam summa tanti viri merita dudum pervenerunt, utique quod hujus loci ecclesia, quod universa civitas & circumjecta diœcesis, quod cuncta hujus urbis collegia, quibus ex parte ipse magna auctoritate interfuit, hoc die mœstissimum officium adparant; id commune nobiscum & nostrarum partium esse, seu Academicarum, intelligimus. Quidquid ergo ad supremos laudatissimi viri honores confert, & meritorum memoriam propagare ad posteritatem valet; id nunc ut faciamus, multæ ac graves causæ, quibus obstructi sumus, admonent. Hoc enim solum restat nobis, ac solum etiam arcte circumscriptæ, hoc est, humanæ est facultatis. Lamentationes, de fato querelas seponimus, non ignari, DEO & divino ejus fato in funestis casibus parere, ac illius conqviescere voluntate, summas partes esse Christianorum officii. Quod igitur reliquum mortalibus est, id nunc agendum adgredimur, ac beatissimi viri merita & laudes, tamquam in brevi tabula proponentes, posteritati ad cognoscendum venerandumque commendamus. Natus ille in hac Halensi est civitate XI. Calend. Julias MDCCXLVI, patre summe reverendo viro & inter primos ætatis suæ Theologos eminente, D. JOHANNE OLEARIO, gloriosæ memoriæ Principis AUGUSTI, Archiepiscopes Magdeburgicæ Admi-

Administratoꝝ, & Ducis Saxonix, &c. Antiftite ſupremo, & eccleſiaſtico Conſiliario, ac Superintendentente Generali: Auo, venerabili etiam viro JOHANNE OLEARIO, per quadraginta duos annos hujus loci Paſtore ac Superintendentente: Matre vero lectiſſima ornatiffimaque femina CATHARINA ELISABETHA, maxime reverendi viri, D. ANDREÆ MERCKII, itidem hujus civitatis primarii Paſtoris & Superintendentis, filia: ut ſic raro & ſingulari pietatis exemplo contigerit, quo beate defunctus noſter, D. OLEARIUS utrique Auo in eccleſiaſtico munere, etiam Patruo, D. GODOFREDO OLEARIO, æque magni nominis Theologo, ſuccederet. Quoquo ergo NOSTER in domo ſua circumſpexit, exempla Theologorum vidit præclariffima, quæ ad virtutis ipſum æmulationem inſtigarent. Permultum quidpe indoles poteſt rite nutrita ſub fauſtis penetralibus: ac omnino inſitam vim naturæ juvat & erigit recta inſtitutio, in qua parentis optimi cura fixa ſtetit, cujus ut ipſe moderator eſſet & arbiter, domesticos præceptores filio adduxit, claros doctrina, etiam ſolertes ac induſtrios, M. MICHAELEM SCHULZIUM, Glauchæ ad Halam poſtea Paſtorem: M. PAULUM SCHEINERUM, deinceps Paſtorem & Superintendentem Barbyenſem: & M. CHRISTOPHORUM FIEBIGERUM, Profeſſorem poſt Weiſenfellenſem, dein Aulicum Diaconum Vinarienſem, tandem Alſtedienſem Paſtorem ac Superintendentem: quorum dexteritate, ſuaque ipſius induſtria, DEO bene adjuvante, adeo profecit, ut, quum etiam a Patre in Theologia & Oratoria ſacra inſtitutus fuiſſet, dignus utique ac præparatus fuerit, qui in Jenenſem Academiam CIO IOC LXVI menſe Martio, paternis monitis probe inſtructus, transmittetur: ubi hoſpitio & convictu D. CHRISTIANI CHEMNITII, Theologiæ Profeſſoris bene meriti & Superintendentis, hoc deinde mortalibus rebus erepto, domo D. JO. ERN. GERHARDI, eximii æque Theologi, convictu GEORGII GÖTZII, tum Profeſſoris publici, poſt Superintendentis Jenenſis, uſus, Philoſophos cum primis & Lingvarum profeſſores clariffimos FRISCHMUTHUM, POSNERUM, BECHMANNUM, & modo laudatum GÖTZIUM audivit: privatim vero curſum per univerſam philoſophiam VELTHEMIO duce, nunc Theologiæ meritiffimo Profeſſore, feliciter abſolvit, ut inſequenti anno, menſe auguſto, Magiſter Phiiloſophiæ & artium, in magno Candidatorum numero locum tertium extra fortem adeptus, renuntiaretur. Ad homilias formatus publice ab eodem D. GERHARDO fuit; privatim etiam a GÖTZIO, exercitium ſimul præbente Theologorum voluntate, quorum partes in concionibus, feria ſexta habendis, frequenter peregit. Inde Lipſiam cum fratre JO. AUGUSTO, nunc itidem Doctore Theologo & ſereniffimi Ducis Saxonis Weiſenfellenſis &c. Concionatore primo, & ſacrorum Conſiliario, quem honoris cauſſa nominamus, ſe ſe contulit, ſed ob Parentis valetudinem adverſam revocatus, ſubſequenti vere nobiliores urbes, Luneburgum, Hamburgum, Lubecam, & ſingularum Theologos eruditosque ceteros viros inviſens, Kilonii per aliquot menſes conſtitit, convictu celeberrimi Theologi, CHRISTIANI KORTHOLTI exceptus, & ceterorum Profeſſorum, PETRI præſertim MUSAËI, & MAURICII, benevolentiam humanitatemque expertus. Inde in Batavos, ac finitimas gentes progreſſus, & ſalutatis VOETIO, COCCEIO, MAREſIO, HEIDANO, GRONOVIO, HORNIO, LEUSDENIO, & quæ alia clara in illis gentibus nomina erant, inſpectisque omnibus, quæ memorabilia in illis locis ſunt, tandem Jenam revertit, & polemicam omnem Theologiam, duce viro exactiſſimo JOH. MUSAËO, percucurrit, inque concionibus habendis iteravit ſuperiorem induſtiam. Ne autem quidquam, quod incremento Theologiæ doctrinæ eſſet, incognitum relinquere-

tur;

tur; ad Argentoratensem quoque Academiam accessit, & BEBELII, summi
 Theologi, domo & convictu, nec minus SCHMIDII atque FAUSTI, egregio-
 rum illius collegarum, institutione gavissus, divinarum rerum usum & scien-
 tiam sibi eximiam comparavit. Quum per Altdorfium & Noribergam eo
 animo rediret, ut Wittebergam quoque se conferret, ibidemque aliquam-
 diu consisteret; in Querfurtensis Superintendentis stationem legitime vocatus,
 licentiam consequendi Theologicos honores MDCC LXXII ab Jenensi Acade-
 mia impetravit, & post biennium una cum duobus fratribus, JO. GODOFREDO,
 Burgenſi Superintendente, nunc inter cælites recepto, & antea laudato Anti-
 stite Weiſſenfelsenſi, summos titulos Doctoris Theologi ritu solemni consequu-
 tus est. Quod autem ille demum verus est Theologus, qui adversis rebus
 est tentatus probatusque, & patientia non minus quam fide, spe, & ceteris vir-
 tutibus elucet; neque harum exercendarum ipsi campus defuit, quidpe
 MDCC LXXVIII, quum adhuc Querfurthi esset, incendio omnia sua, etiam
 librariam supellectilem, quam carissimam habuerat, amisit. DEUS vero,
 cui confisus erat, largiter, quæ ablata erant, reddidit: etiam in patriam pro-
 pitio numine reduxit, ut Mauricianæ ecclesiæ præſſet, ex qua post quatuor
 annos majori, hoc est Marianæ, successor Patruī Auorumque, præſectus fuit,
 cui dignitati Serenissimus Elector Brandenburgicus, Dominus noster Clemen-
 tissimus, Consistoriani munus in Ducatu Magdeburgico, & Inspectoris Circuli
 Salani MDCC LXXXIX adiecit. Quos honores tanta gravitate sedulitateque
 gessit, ut bene officii rationes, quæ salus sunt ecclesiæ, constarent, isque tam
 carus esset suis auditoribus, quantum nunc ab omnibus miro desiderio lugetur.
 Matrimonium bis inivit, primum cum honestissima virgine REGINA JUSTINA,
 viri prudentissimi, CHRISTOPHORI WOLFII, Camerarii & Pharmacopolæ Num-
 burgensis filia, ex qua quinque filios & totidem filias suscepit, sed quatuor tantum
 sunt superstites, JOH. CHRISTOPHORUS, Philosophiæ Magister præstantissi-
 mus; & JOHANNA ELISABETHA, nobilissimi & consultissimi viri, AUGUSTI
 THEODORI Reichhelm/J. V. D. Salinatoris, & Judicii Salinatorii Adſessoris uxor,
 eximiis virtutibus condecorata; ex qua duas neptes vidit; item JOHANNA DO-
 ROTHEA ac JOHANNA REGINA. Orbatus vero conjuge, ut fata sunt, MDCC XCI
 lectissimam virginem, nunc moestissimam viduam, duxit, MARIAM ELISABE-
 THAM RINGHAMMERIAM, ex qua etiam duos filios, duasque sequioris se-
 xus genuit, ut vero unus filius JOH. FRIDERICUS, elato altero, cum sororibus, JO-
 HANNA CHRISTIANA & JOHANNA MARIA, quos DEUS servet, supersint.
 Placidus in vita, nec vero remissus, sed qui humanitatem severitate tempera-
 ret; placidum etiam excessum ex vita invenit, cujus causa non diuturnus mor-
 bus, sed vix novem dierum fuit, qui principio nihil periculi minabatur, post
 autem ita invaluit, ut ne præsentissimis remediis potuerit proſſigari. Quod
 præsentiscens VIR beatus, missis rerum humanarum curis, totus in id incubuit,
 ut ad quod alios per vitam præparaverat, felici exitu intrepidus ipse ac fortis
 exerceret. Sacris ergo augustissimis refertus, quot accesserant, singulis bene pre-
 catus, valedixit. Quibus peractis inter suas & adstantium preces, dum DEUS
 animam, illi unice confisam, extraheret, exspectavit, quod brevi post hora VI. ves-
 pertina, V. idus Decembris, placide ac leniter exspirans, feliciter adſecutus est. Cor-
 poris reliquiæ, ut dignum est, hodie hora XII. honestissimis ritibus efferentur, cui
 humanitatis officio supremo, quamvis sponte sua & amplissimos Collegas, & nobi-
 lissimos Cives nostros, quibus hic Vir optime consuluit, ad futuros confidamus; ta-
 men quoniam ita moris est, ut id frequenter faciant, idem tamen rogamus
 & admonemus. P. P. Halæ xv. Dec. MDCC XCIX.

ni
o-
i-
eo
n-
is,
e-
O,
ti-
u-
us
ir-
pe
am
ro,
co-
or
uit,
en-
uli
que
am
ur.
JA,
im-
um
iffi-
STI
or,
OO-
xci
BE-
se-
JO-
int.
era-
or-
oost
od
uit,
rtis
pre-
EUS
ves-
Cor-
cui
obi-
ta-

ULB Halle 3
004 715 292


f

Sb.

MC



Id 1383. FK.

WMA

AC



2

SUPREMUM OFFICIUM
 VIRO SUMME REVERENDO ET E
 JOHANNI CH
 NO OLEA
 DOCTORI THEOLOGO, HALENSIS
 Primario, fidelissimo, meritissim
 Inspectori vigilantissimo, nec non Sac
 Ducatu Magdeburgico est,
 gravissimo,
 IX. Decemb. MDCCCXCIX ere
 & hodie XV. Decembr.
 honestissimis exsequiis sepe
 ACADEMICIS O
faciendum,
indicit
 PRORECTOR ACAI
 HENRICUS BOI
 Potentiss. Electoris Brandenb. in D
 filiaris Ecclesiasticus & P
 LEUCOPETRÆ,
 ex Officina Brühlia

